



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera**

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;  
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

**Gregor <I., Papst>**

**Lutetia Parisiorum, 1675**

Illustrissimo Ac Reverendissimo D. D. Ludovico Bassumpetræo Santonum  
Episcopo, Petrus Gussanvillæus Presbyter Carnotensis, S.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)



ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D.D.

LUDOVICO  
BASSUMPETRÆO  
SANTONUM EPISCOPO,

PETRUS GUSSANVILLEUS PRESBYTER CARNOTENSIS, S.

**L**OST *Petri Blesensis to-  
mum me procurante edi-  
tum, subque tui nominis  
tutela, doctis fauentibus,  
publici juris factum, diu deliberan-  
dum non fuit, ANTISTES ILLU-  
STRISIME, quo assertore, quo vin-  
dice, quo agonotheta, sancti Gregorii  
tomos summa religione emendatos, no-  
visque locupletatos accessionibus in lu-  
cem darem. Vnus tu mihi semper occur-*

á iij

## EPISTOLA.

ris, præter te nemo. Causas nosti; nōssent  
& alii si per te mihi liceret aperire.  
Quæ vellet devotus explicare, te pro-  
hibente comprimit animus obsequiosus;  
nec te tamen audent appellare durum qui  
dolores prolongas parturientis. Eas ita-  
que tantum causas proferam quæ palam  
sunt. Archidiaconum qui tuis insulis te-  
xisti, protexisti, ornasti, summum-ne  
Pontificem negligeres, posthaberes, con-  
temneres, tuæ fidei, dignitatis, auctori-  
tisque presidium implorantem? Fuit illi  
quondam arcta cum Episcopis Gallia-  
rum necessitudo, multisque reliquit epi-  
stolis testatum quantum ejus fuerit de  
illis bene merendi studium, quam pro-  
pensus adversus Gallos animus. Ger-  
manos, prope est ut dicam, nescivit:  
paucos Hispanos agnovit: Italos ut fi-

## EPISTOLA.

lios rexit : Gallos autem fraterna præcipuaque benevolentia semper complexus est : Episcopos dico , Reges , Reginas , Principes , Patricios , Nobiles , &c. quos omnes multa comitate compellat , amore prosequitur , de vincit officiis , effert laudibus ; ut in solo Gallico natus eductusque fuisse videatur. Et certe vicem mutuam reddidere nostri cum sænore , sanctique viri opera cum Librariorum stylo certatim propagarunt in immensum , tum editis Canonibus legenda Clericis Episcopisque suis proposuerunt , edixerunt. Addo tantam huc usque fuisse nostrorum hominum de Gregorii Magni sanctitate atque doctrina existimationem , ut nullus sit tanto qui Pontifici non assurgat , tantum Doctorem non audiat , admonen-

## EPISTOLA.

tem non attendat, non revereatur corripientem. Latentem quandam sympathiam diceres, omnimodamque illi nobiscum sensuum convenientiam. Rem narro, ANTISTES ILLUSTRIS, tibi pridem cognitam, quippe ejus qui doctrinam animo complecti, moribus exprimere strenua diligentia huc usque studueris. Absit lenocinante calamo fucum facere; nec enim tua id pateretur modestia, nec sancti Gregorii gravis adversus adulatores censura permetteret. Quam putas sancti Gregorii doctrinam despicerent qui sordidis aulicis-ve artibus ad Episcopales thronos grassarentur? Quantum ab ejus placitis deviant qui priori sponsa, iratis Canonibus, renunciante novas ambirent neterentque nuptias mente nec Canonica  
 satis,

## EPISTOLA.

satis, nec Evangelica? Quantum abessent à Gregorii mansuetudine qui Clericos comministros, Laicos-ve subditos vi, minis, imperio territarent seculari turgentes fastu? Quam errarent periculosè qui propria statione deserta, cui debent assidui incubare, aliò conuolarent aut malis aut fictis occasionibus? Quam essent à Gregorii sensu alieni qui pecuniis inhiarent studio congregandi, aut opes Ecclesie in alios quam pauperum usus deriuarent? Denique quam longe ab ejus præscriptis exemplisque peregrinarentur, qui nec fideles benignitate sibi devincire, nec hæreticorum duritiem suavitate frangere emollire-ve satagerent. Nos in Galliis felices quibus tot obtigere divina nutu Pontifices ad Auctoris nostri

## EPISTOLA.

amissim acti formatique. Profecto  
Gregorii qui super his capitibus men-  
tem fuerit assecutus, atque executus  
Pontifex, ne dignus est ad quem tan-  
quam ad Patronum hunc partum re-  
cens è prelo madidum applicemus. No-  
sti quæ sint Patroni partes: implebis.  
Nec vero munus, scio, aspernaberis  
quod anno 1518. Boudetius Episcopus  
Lingonensis, ann. 1523. Guillardus  
Episcopus Tornacensis, an. 1586. Gon-  
dus Episcopus Parisiensis sibi delatum  
laudi duxerunt. Certe nostrum eo est  
commendabilius, quod multo fuerit  
studio repurgatum, defecatum, & ad-  
jecto superpondio non levi, prioribus  
editionibus multis momentis prepon-  
deret. Ergo, PRÆSUL ILLUSTRIS-  
SUSCIPE munus hoc literarium tanti viri

EPISTOLA.

doctrina, auctoritate, sanctitate gravium :  
permittite ut me ministro, te Patrono, per Gallias, per orbem universum diffundatur; nostrorumque discant  
Episcoporum exemplo fideles quique;  
Magni Gregorii doctrinam venerari;  
facta sequi. Vale. Parisiis pridie Kal.  
Novemb. an. M. DC. LXXIV.



En Liliū.